



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE PRAECIPUA OMNINO AEDES DEO DICATA IN
HONOREM SANCTAE MARGARITAE**

IN LOCO «OSTERHOFEN-ALTENMARKT» DIOECESIS PASSAVIENSIS

DIGNITATE ET TITULO BASILICAE MINORIS COHONESTATUR Ad perpetuam rei memoriam. –

Praecipua omnino quaedam Passaviensem intra dioecesim tum divini plurima saecula cultus tum artis recentius christianae tum vitae hodie catholicae operaeque sedes praedicatur merito quidem ac frequentatur aedes Sanctae Margaritae sacra in oppido «Osterhofen-Altenmarkt» communiter appellato. Quin «Aula Dei» illa iure nimirum potissimum aestimatur religionis locus media in Danuvii valle. Cui igitur saeculari iam honori et usui ut liturgicus ipse templi status magis usquequaque conveniret, utque fidei inde studium circumiacentis populi ac fidelitas eius erga Ecclesiam et Romanum Pontificem confirmaretur maxime, immo vehementi quadam vi nova infiammaretur, Antistes Passaviensis, Venerabilis Frater Antonius Hofmann, censuit a Sede Apostolica datis litteris peti ut idem sacellum ad Basilicae Minoris gradum eveheretur et dignitatem, plane scilicet fore confisus ut novus perhonorificus titulus omnium mentes dirigens superiorem in templi gloriam excitaret novum illinc nominis operisque christiani florem. Simili Nos rerum expectatione laetati obsecundamus libenter oblatis ita precibus atque de sententia Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino deque apostolicae potestatis Nostrae plenitudine constituimus harum Litterarum virtute ut sacra quam memoravimus aedes Deo dicata Sanctae ad Margaritae honorem in loco «Osterhofen-Altenmarkt» dioecesis Passaviensis cohonestetur dignitate tituloque Basilicae Minoris dum ei legitime adduntur iura cuncta ac privilegia quae aedificiis illo insignibus nomine congruunt. Praecipimus vero ut universa ad amussim observentur ea quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII foras datum servari oportet. Contrariis quibusvis haudquaquam obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Decembris, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quinto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana